**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

# Statuta Ruralis Capituli Linzgoviensis

**Marquard Rudolf <Konstanz, Bischof>**

**Constantiae, 1699**

Praefatio ad lectorem

urn:nbn:de:bsz:31-129236

Visual Library

# PRÆFATIO AD LECTOREM.

QUemadmodùm Divinæ omnipotentię opera, quæ per creationem ex abyſſo nihili producta ſunt, ſingularem à mirifico, quo cuncta diſpoſita ſunt , *ordine*, ſortiuntur decorem, ita humanæ quoque actiones ab

eodem ritè obſervato ſummè exornantur. Ordo in Angelis, ordo in aſtrorum motu, ordo in Elementis, ordo in anni partibus & & temporibus aptè & diſtinctè tum progredientibus, tũ recedentibus ordo in diei ac noctis certis menſuris & intervallis reſplendet. Tolle ordinem, & univerſum mundum, mox in funeſtum perturbationis theatrum converſum videbis. Terrifica reſonabunt in aëre tonitrua, cientur in terra pe-

riculoſi motus, in mari damnoſa naufragia, excitabitur in cunctis Elementis diſcordia, exſurgent in urbibus inteſtina bella, in domibus diſſidia, in corporibus morbi, in animis peccata: ſine *ordine* erit in omnibus actionibus fluctuatio, in negotiis hallucinatio, & in vivēdi modo mōſtroſa deformitas. Hinc non ſine cauſa tā inveteris, quàm novi teſtamenti paginis, hic ipſe *ordo* tēporis, loci, modi, cæremoniarū &c. in Sacerdotum &

Levitarum miniſterijs ſpecialiter obſervandus præſcribitur. Sic Levitæ tabernaculum portare jubentur, ſed ut ſinguli per loca & *ordines* proficiſcantur. *Numeri* 2. Conſtituit equidem Salomon in templo ſuo officia Sacerdotum, ſed in *ordine* ſuo, ut laudarent, & miniſtrarent, juxta ritum, uniuscujusque diei. 2. *Paralipp. c.* 8. Offerunt Sacerdotes holocauſta, ſed miro *ordine*, juxta diſpoſitionem Moyſis. 2. *Paralipp. c.* 30. Sic ipſe Za-

charias ponit incenſum, ſed in *ordine* vicis ſuæ ante Deum, ſecundùm conſuetudinem Sacerdotij. *Lucæ c.* 1. Coloſſenſium Eccleſias laudat Doctor Gentium *ab ordine*: Spiritu, ait, vobiscum ſum, gaudens & videns *ordinem* veſtrùm *ad Coloſſ.* 2. Imò Corinthiis *1. Cor.* 14. præcipit, omnia honeſtè & ſecundùm *ordinem* fiant in vobis. Huic præcepto proin, ut & Venerabilis Ruralis Capituli Linzgovienſis Cœtus ſe conformet, unani-

miter

miter ſtatuit, ut certa quædam Statuta typis mandentur, juxta quorum tenorem & *ordinem*, quilibet in Capituli gremium ſuſceptus, quid agendum, quidvè vitandum ſit, velut in compendio præ oculis ſemper habere, talémque ſe exhibere poſſit, qualem Sacerdotalis ſtatûs Excellentia, Commiſſarum animarum ſalus, ac muneris ſui multiplex obligatio ab unoquoque depoſcit. Conſcriptæ quidem jam Anno 1324. litteriſque

conſignatæ ſunt ordinatio-
nes, quædam Capitulares ,
eæque Anno 1506. renova-
tæ , ac Epiſcopali Authori-
tate roboratæ, ſed quia mo-
derno temporum ſtatui ,
non adeo convenientes, nec
per omnia Statutis Synoda-
libus , Conſtitutionibus &
Decretis Capitulorum Ru-
ralium conformes ſunt, hinc
eas in meliorem ordinem
redigere, & ut ad omnium
notitiam perveniant, prælo
ſubijcere placuit. Omnes
& ſingulos in Domino fra-
ternè

ternè adhortantes , ut quæ communi conſenſu & voluntate ordinata ſunt , pari etiam ſtudio & amore acceptentur, ac pro viribus obſerventur.

# Caput I,

## *De Parochialibus, Eccleſiis, & Capellis in diſtrictu Capituli Linzgovienſis ſituatis.*

Uberlingen Parochialis & Collegiata Eccleſia ſub Patrocinio S. Nicolai Epiſcopi & Confeſſoris. Jus Patronatûs competit DD. Conſulibus & Magiſtratui Imperialis